

qna soluta vel non soluta nihilominus firma perdurent. Actum in Ecclesia Lateranensi presentibus hiis testibus scilicet Joanne d. Petri mete Judicis d. Angelo Petri Martini, Andreotio Tucij magistri Pauli Beneficiatis Lateran. Ecclesie et Jacobatio Amici de Regione montium.

Sequitur possessio adeptu a Sindico nomine societatis.

Eodem die in presentia mei Notarii et Testium suptorum ad hec specialiter vocator. et rogatorum pti venditores et quilibet eorum personaliter constituti ad accusamentum ptum investierunt d. Franciscum Sindicum et Guardianum d. Universitatis nomine dicte Universitatis de d. accusamento et pertinentiis suis immittendo ipsum in eis per serramina hostiorum stando permanendo, claudendo et aperiendo dicta hostia, quam possessionem d. Sindicus nomine d. Universitatis recipit, et adeptus est. Actum presentibus his Testibus scilicet Joanne d. Petri mete Nofrio Ilperino, et Luca Cole Solaneni de Regione Montium.

Sequitur Ratificatio plurimorum familiae de Novellis.

Eodem die in presentia mei Not. et testium suptorum ad hec specialiter vocatorum et rogatorum Dominus Jacobus domini Jacobi Novelli, dña Joanna uxor Joannis dñi Jacobi Novelli, Dñs Laurentius, et dominus Petrus Fratres, et dña Joanna et dña Perna sorores filii et filie domini Pandolfi Novelli, Qui omnes jurarunt ad S. Dei Evangelia corporaliter libro tacto pro subscriptis omnibus et singulis observandis adimplendis, et contractandis roñe minoris etatis eorum, et cujuscumque eorum seu aliqua alia ratione modo, vel causa certiorati de d. venditione, et omnibus in ea contentis sponte, et libere consentierunt, et eorum consensum prestiterunt, et renunciaverunt et refutaverunt eidem Francisco Sindico et Guardiano pto, et mihi Not. ut publice persone stipulantibus pro dicta Universitate omnia et singula jura et actiones eis et eorum quilibet competentes, competentia, et completitura in d. accusamento tam ratione hereditatis paterne et maternae quam etiam alia ratione quacunque. Et dictae mulieres et quilibet eorum renunciaverunt in his omnibus juribus dotium, earum donationum propter nuptias alimenta parefrenorum (deest) de auxilio Vallejani Senatus Consulti in favorem mulierum introducti certiorati per me Notarium de auxilio suprascripto. Hunc autem consensum renunc. et omnia que dicta sunt fecerunt peti dñi Jacobus et dñs Joannes Laurentius, et d. Petrus, d. Joanna, et dña Perna et quilibet eorum ob reverentiam et amorem dñi nostri Salvatoris ad Sancta Sanctorum et universitatis pte promittentes dictum consensum et renunciationem, et omnia supra perpetuo firmam (sic) habere et retinere, et non contrafacere, vel venire sub obligatione bonorum eorum. Ad hec Nicolaus Jordani Ilperini de Regione Montium qui juravit ad S. Dei Evangelia corporaliter libro tacto pro his omnibus et singulis suptis adimplendis, et non retractandis ratione sue minoris etatis nec aliqua alia ratione, modo, vel causa. Et Nicolaus Mattei Not. publicus et instantia dd. filiorum et filiarum D. Pandolfi Novelli sponte et libere glibus in solidum

se se in hoc principaliter obligando fidejusserunt penes d. Franciscum Sindicum et me Not. ut publicam personam pñtes et stipulantes pro d. Universitate Recomendar. d. N. Salvatoris ad Sancta Sanctorum et promise-runt quod hujusmodi accusamentum cum pertinentiis suis pleno jure spectat ad dd. venditores et quod non est venditum, donatam pignoratum, nec alienatum in totum vel in partem quod si contrarium apparebit aliquo tempore perpetuo voluerunt teneri, et volunt ad omnia damna expensas et interesse et evictionem.

Item quod pti venditores tenentur et obligati sunt obligare d. Universitati pro predictis omnia bona eorum mobilia et immobilia presentia et futura et renunciarunt hiis Eple d. Adriani nove et novarum constitutionum beneficio, privilegio fori beneficio cessionis bonorum, et cedo bonis ac omni juris Canonici et civilis remedio. Actum in regione Montium, et contra Seburre presentibus d. Fratre Egidio de Camerino Ordinis Continentium d. Presbytero Nicolao Rectore Ecclesie SS. Sergii et Bachi et Sutio dicto Satullo de Regione Montium testibus ad pta vocatis et rogatis. Ego Paulus Joannis Jacobi Alba de Urbe Dei gratia Sac. Rom. Prefecture auctoritate Not. Publ. quia ptis interfrui, ideo ea scripsi et publicavi rogatus.

Locus ✕ Signi.

D O C U M E N T O VIII.

Particula instrumenti donationis, facte in favorem Hospitalis S. Angeli, a Laurentio Joannis Mattehuli de Novellis, de medietate quorumdam casalenorum, conjuncta pro indiviso cum alia medietate Andreeae de Novellis: sub anno Domini 1830 die 25 martij: manu Stephani Magnavivae Notarij.

» Integrum medietatem certorum casarenorum et domorum dirutarum sine tecto solariis et sine hostiis ipsius Laurentii junctam pro indivisa cum integra medietate putei in eis existentis que casarena et domus dirute site sunt in Regione Montium et contigue muris antiquis formarum urbis in oppositum Ecclesie S. Angeli et hospitali dictae Ecclesie dictae societatis inter que casarena est cimiterium (*) dictae societatis et hospitalium ejus inter hos fines, quibus ab uno latere est ortus et vinea dictae societatis ac hospitalium ejus ante est via publica per quam item ad Ecclesiam S. Johannis in Laterano, ab alio latere est via qua itur ad Ecclesiam SS. Petri et Marcellini et alii fines etc. »

(*) Oggi il cimitero vecchio.

DOCUMENTO IX.

Administratio jurisdictionis in platea lateranensi.

Anno Domini a Nativitate ejusdem 1450. Pontificatus D. Nicolai PP. V. Indictione XIII. usque ad Kal. Ibris et deinde Ind. XIV. usque ad finem anni et fuit annus Jubilei in quo primo fuerunt Guardiani nobiles viri Cincius de Porcariis de Regione Pinee et Joannes Jacobi de Alperinis de Regione S. Eustachi et sunt prosecuti dictum Guardianatum usque ad festum Paschatis dicti anni et deinde successerunt nobiles viri Jacobellus Lelli Alexii de Cincis de Regione Arenule et Petrus de Marganis de Regione Campitelli qui omnes et quilibet eorum officium viriliter pro defensione juri nostri hospitalis (a) operati sunt et inter eorum virtuosa opera continuato anno Jubilei preposuerunt ad exequandam et ministrandam justitiam contra delinquentes in platea lateranensi tamquam loco subditio Societati Recomendatorum Imaginis Salvatoris ad Sancta Sanctorum officiale non obstante contradictione in hoc facta per Canonicos lateranenses novissime in dicta Ecclesia religiose positos loco RR̄orum DD. Canonorum. Ad quam justitiam ministrandam fuit deputatus et electus nobilis vir Petructius Nutti Antonii de Soderinis de Regione Campitelli qui viriliter se per omnia gessit que omnia gesta fuerunt cum assensu dicti Pontificis contradictione dictorum Canoni corum Regularium non obstante. Que omnia hic scripta sunt per me Joannem de Vallatis notarium et secretarium Guardianorum dictae Societatis ut successoribus nostris et dictum hospitale gubernantibus transeat in memora bile exemplum.

DOCUMENTO X.

Bulla unionis Ecclesiarum SS. Quadraginta et S. Mariæ Hospitali S. Jacobi prope Colisæum.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Gaspari Archiepiscopo Consan. Vicario nostro in urbe salutem et apostolicam Benedictiōnem. Intenta jugiter salutis ac pietatis operibus apostolice sedis benignitas illa devotorum vota benigno favore prosequitur per que hospitalia pauperum et alia pia loca paupertate gravata, nec non pauperes fideles inibi receptandi pro tempore in suis necessitatibus percipere valeant relevamen.

(a) Intellige SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum.

Sane pro parte dilectorum filiorum Guardianorum Imaginis Sancti Salvatoris de urbe nobis nuper exhibita petitio confinebat quod cum hospitale S. Angeli prope Ecclesiam Lateranensem cuius ipsi gubernationem habere noscuntur longe ab habitatione civium Romanorum distet, et propterea ipsi pie considerantes quod malitia temporum et aliis eventibus sinistris causantibus plurime utriusque sexus in dicta urbe consistentes persone adeo ad magnam paupertatem devenerunt quod elemosinis et Christifidelium suffragiis habeant necessario sustentari, hospitale S. Jacobi prope Coliseum etiam de urbe ab eodem hospitali S. Angeli dependens et per illius Guardianos et confratres hujusmodi gubernari solitum pro receptandis inibi atque confovendis pauperibus et infirmis mulieribus et aliis miserabilibus personis quibus ipsi de vite necessariis de bonis et facultatibus dicti hospitalis S. Angeli congruenter providebunt ampliare et ampliari facere proponant et si Sanctorum quadriginta que unum duntaxat habet clericum qui etiam ex illius fructibus redditibus et proventibus ultra quadraginta solidos provisiorum annuatim non percipit nec non Sancte Marie prope dictum hospitale S. Jacobi consistentes illi diversis respectibus multum accommode Ecclesie sine cura etiam ruine deformitati supposite et fere prorsus destructe eidem hospitali S. Jacobi unirentur annexerentur pariter et incorporarentur in hoc pauperes et infirmi ac miserabiles persone hujusmodi in ipso hospitali S. Jacobi recipi et collocari ac eis de hujusmodi necessariis subveniri commodius possent cresceretque etiam Christifidelium ad ipsum hospitale S. Jacobi confluentum in exercendis inibi pietatis et caritatis operibus devotio tempore procedente. Quare pro parte ipsorum Guardianorum asserentium quod clerci dictas sine cura Ecclesiæ impresentiarum obtinentes ad finem et effectum quod ille pro usu et habitatione pauperum et infirmorum ac miserabilium personarum hujusmodi eidem hospitali Sancti Jacobi uniantur, annexantur, et incorporentur et illas ac omne jus singul. ipsorum clericorum in eis vel ad eas quomodolibet competens sponte et libere resignare parati sint, fuit nobis humiliter supplicatum ut eis pro receptione ac sustentatione pauperum et infirmorum nec non miserabilium personarum hujusmodi in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quantum si est ita et clerci predictas ecclesias sine cura nunc obtinentes illas per se vel procuratores suos ad hoc ab eis specialiter constitutos in tuis manibus sponte et libere resignare voluerint ut prefertur, resignationes ipsas hac vice duntaxat auctoritate nostra recipias et admittas eisque per te receptis et admissis easdem ecclesias sine cura etiamsi ab aliquo titulo alicujus ex venerabilibus fratribus nostris et Sancte Romane Ecclesie Cardinalibus quod tamen ad presens ignoratur dependant et quarum cujuslibet duarum eidem hospitali S. Jacobi cuius quatuor florenorum auri fructus redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annum ut ipsi Guardiani asserunt non excedunt cum per hujusmodi resignationes vacaverint, cum omnibus juribus et pertinentiis suis eadem auctoritate unire, annexare, et incorporare procures. Ita quod liceat ex tunc Guardianis pro tempore existentibus hujusmodi earumdem sine cura Ecclesiarum corporalem possessionem auctoritate propria ad utilitatem hospitalis Sancti Jacobi et pauperem

et infirmorum ac miserabilium personarum hujusmodi apprehendere, illarumque fructus redditus et proventus in sustentatione pauperum et infirmorum ac alias in utilitatem dicti hospitalis S. Jacobi exponendos recipere et perpetuo retinere, alicujus alterius super hoc licentia minime requisita. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint etiamsi per eas ad inhibitionem reservatione et decreto vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus earum vigore habitos ad prefatas sine cura Ecclesias volumus non extendi sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari et quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant perque presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorūcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso quod dicte sine cura Ecclesie debitis propterea non fraudulentur obsequiis sed earum onera consueta debite supportentur attente quoque provideas ne in resignationibus hujusmodi si fiant, aliqua pravitas interveniat seu etiam corruptela Nos enim nunc irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Jure tamen hujusmodi cardinalium si quod sit alias in omnibus semper salvo. Datum Rome apud Sanctum Grisogonum anno Incarnationis dominice 1433. I^o. Kal. Februarii Pontificatus Nostri anno tertio.

Jo. de Nursia.

— — — — —
D O C U M E N T O XI.

Licentia Magistrorum Stratistarum Guardianis
Societatis praedictæ concessa.

Nos Hyeronimus Petri Trerosani de Thedallinis Laurentius Barbarini de Catellinis et Paulus benedicti de Magistris magistri edificiorum Stratistarum et aliorum locorum alme urbis.

Universis et singulis presentes nostras litteras inspecturis salutem in domino sempiternam. Noverit universitas vestra quod nuper pro parte Nobilium virorum Bernardi de Riccis et Palutii Jovannis (sic) Matthei Guardianorum Venerabilis hospitalis sacratissime Imaginis Salvatori Domini Nostri Jesu Christi ad Sancta Sanctor. de urbe coram nobis expositum fuit quod nunc prefatum habeat et possideat quamdam Ecclesiam sub voca-

bulo Sancti Jacobi apud Coliseum cum domibus in ea existentibus in quibus nonnullas pauperes mulieres ab eodem hospitali receptas moram thraere asseruerunt intendantque auxiliante domino habitationem hujusmodi ampliare et inter dictam Ecclesiam et certas alias possessiones ipsius hospitalis sit certus locus inter duas stratas publicas qui parvus est et ad usus viarum minime necessarius cum nullus aliis habeat possessiones illi adjacentes nisi prefatum hospitale Intendantque dicti guardiani dictum locum intermedium claudere ad obviandum malitiis hominum qui inibi conveniri possunt; et in cursibus (sic) et in reclastrum reducere pro usu dictarum mulierum et illarum honestate quod sine prejudicium publici juris fieri posse asseruerunt cum fuerint et sint ante et retro vie publice largissime per quas unusquisque de populo commode accessum et regressum habere potest sine incommmodo: Ea propter nobis supplicaverunt ut eisdem licentiam dare ac impartiri debemus dictum locum claudendi illumque in usum et utilitatem dicti hospitalis et dictarum mulierum convertendi. Nos enim viso loco et ejus circumstantiis et quod nemini est commodus nisi dicto hospitali animadvertentes et considerantes civitatem propterea non deformari sed decorari et causas malorum tolli et juxta dictum locum neminem alium possessiones dicto loco adherentes habere ac animadvertentes quod ab aliis lateribus et ante et retro dictum locum fuerunt et sunt vie publice large et patentes unicuique per quas commodus accessus et regressus unusquisque habere potest ac mente revolventes id in usum pium converti debere: Ea propter harum serie auctoritate nostri officii damus concedimus et impartimur plenam licentiam et omnimodam potestatem ac auctoritatem dictis Guardianis prefati hospitalis presentibus et futuris dictum locum claudendi ipsumque in usum et utilitatem dictae Ecclesie Sancti Jacobi et prefatarum mulierum convertendi et in eo edificandi et de illo facendi et disponendi ipsumque incorporandi pro eorum libito voluntatis et tanquam de re propria ipsius hospitalis omnibus meliori modo via jure causa et forma quique magis melius et efficacius possumus et debemus: In contrarium forsitan facientibus editis vel disponentibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome in Palatio Capitolii ad nostrum solitum tribunal sub anno a nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1472 Indictione VI mensis Novembri die Jovis 19 Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Domini Nostri Domini Sixti divin. providenti. ejus secundo.

Maximus Notarius Dominorum Magistrorum.



DOCUMENTO XII.

*Recognitio facta per Guardianos Confalonis
domorum de Coliseo.*

Indictione VIII. mens. Martii die 17. 1490.

Eisdem indictione mense et die quibus supra. In presentia nostrorum notariorum etc. Discreti viri Marianus Scalibastri et mei Georgii Albini et cuiuslibet nostrorum in solidum. Cum hoc fuerit et sit, quod Venerabile hospitale Societatis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de urbe, cum spatio 120. annorum vel circa tenuerit et possiderit pacifice et quiete, nomine contradicente, certas domos et accasamenta positas et posita in amphiteatro Colisei, que fuerunt quandam nobilium de Aniballis de Coliseo, qui illas Guardianis dicti hospitalis vendiderunt ut constat publico instrumento; et nunc nobiles viri Ludovicus de Marganis et Altus de Nigris Guardiani dicti hospitalis Salvatoris teneant et possideant; et nobiles viri Joannes de Brancha et Marcus quondam Pauli Columne Sebastiani Guardiani Societatis Confalonis de urbe dixerint et exposuerint eisdem Guardianis hospitalis Salvatoris, per Sanctissimum Dominum Nostrum Papam Innocentium fuisse et esse eis concessum, posse in dicto Coliseo facere representationes, et devotiones Christi, et Sanctorum suorum; et quod ipsi Guardiani Confalonis egerint dictis domibus et accasamentis, et dicta parte amphiteatri, ubi dicte domus apparent edificatae et constructae; et quod sine ipsis, ipsi Guardiani non possent dictas representationes facere, et pro aptitudine loci et conservatione rerum ad dicta festa necessaria. Conservatores requisiverint prefatos Guardianos Salvatoris ut velint consentire, ut dictis domibus et accasamentis uti valeant et possint pro dictis representationibus et festis tantum, et non ad alium usum. Hinc est quod prefati Ludovicus de Marganis et Altus de Nigris Guardiani prefati hospitalis Salvatoris, sponte et ex certa eorum scientia, et non per errorem quoad suprascripta et infrascripta, dede- runt et concederunt eisdem Guardianis Confalonis, presentibus, recipientibus vice et nomine dicte Societatis Confalonis, et nobis Notariis, plenam licentiam et omnimodam facultatem, et potestatem, posse in dicto palatio dictas devotiones et representationes facere, et illud reparare ad dictum usum tantum, et non aliter, citra tamen prejudicium aliorum jurium et privilegiorum utriusque partis si qua (sic) habent, et cum licentia et auctoritate dictorum Conservatorum alme urbis et Lelli de Fabiis, Francisci Teuli, et Simeonis de Cecchinis; et convenerunt Guardiani Confalonis et ita promiserunt eisdem Guardianis Salvatoris, quod dato quod tractu temporis et quocunque dicti Guardiani et Societas hospitalis Salvatoris vellent rehahere dictas domos et accasamenta et illis egerent pro eorum usu, quod tunc dicti Guardiani et Societas Confalonis teneantur illico dictum palatum seu domos dicto hospitali et illius Guardianis libere demittere et relaxare, absque aliqua exceptione: quas domos et accasamenta constituerunt et recognove-

runt sese tenere et possidere nomine dicti hospitalis et Guardianorum ejusdem, et liceat Guardianis dicti hospitalis et Societatis ejusdem hospitalis Salvatoris dictam Societatem Confalonis et illius Guardianos inde expellere, promittentes plenarie partes una alteri et altera alteri cum juramento, predicta omnia et singula inviolabiliter perpetuo observare, et rata et grata tenere et habere contra non facere, dicere, vel venire, aliqua ratione, jure, modo, titulo, sive causa pro quibus omnibus et singulis observandis et plenarie adimplendis, dicte partes hinc inde singula singulis congrue referendo, obligarunt omnia et singula bona dictorum hospitalium et societatis (sic) et voluerunt pro prefatis posse cogi etc. et renuntiaverunt etc. et juraverunt etc. Actum in Palatio Conservatorum alme urbis presentibus etc. iis testibus etc. nobilibus viris Joanne de Palonibus Regionis Arenule et Dominico quondam Joannis Maldozzo Regionis Trivii ad premissa vocatis habitis et rogatis.

Ex Protocollo Instrumentorum Georgii Albini de Castiglione Notarii Publici et Venerabilis hospitalis Sanctissime Imaginis Salvatoris.

